



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CV. Ioannis Papae VIII. Ad Bernardvm Marchionem. Monet vt
Frotario aditum ad suam sedem patere faciat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

to hac vice collegio subtraxerit, particeps de reliquo nostræ communionis esse nullatenus valebit. Data ut supra.

EPISTOLA CIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD FROTARIVM ARCHIEPISCO PV M.

Vt ad Synodum cum suis suffraganeis Trecas veniat.

Frotario venerabili archiepiscopo Biturigenfi.

AVDITIS denique deploratione atque angustia literis tuæ fraternitatis, quæ vobis ab hominibus Bernardi comitis sunt illatæ, recens dolor priori est augmentatus, & quod tibi sedis tuæ aditus clausus, mihi met ipsi id reputo. Hortamur interim dilectionem tuam patienter sufferre, & ad Trecas cum fratum coepiscoporumque nostrorum collegio diœceseos tuæ ad Synodum Domino cooperante celebrandam quantocius properare. Ludouici regis amantissimi filii nostri aduentum præstolamus quotidie, inhianterque desideramus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data ut supra.

EPISTOLA CV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BERNARDVM MARCHIONEM.

Monet vt Frotario aditum ad suam sedem patere faciat.

Dilectissimo filio Bernardo nobilissimo marchionum.

QVIA tempore nonnullos diligimus specialius, idcirco in his quæ nobilitatem vestram Deum offendere cognoscimus, vos paterno increpamus affectu: præsertim de causa Frotarii venerabilis episcopi, cui, vt audimus, vestri homines iter ciuitatis suæ, ne ad sedem suam ingredetur, temerarie clauerunt. Episcoporum iudicium, fili carissime, suo tantummodo Dominus seruauit arbitrio, nec de episcopis vult laicos iudicare; vnde monemus dilectionem tuæ caritatis, vt quidquid in hac causa prædicti episcopi deliquistis, sub celeritate & legaliter emendare studeatis: quia nos illud, nisi pro digna emendatione, inultum remanere nullomodo patimur officio ac ministerio sacer-

136 IOANNIS PAPÆ VIII.

dotali. Optamus nobilitatem vestram bene valere. Data
vt supra.

EPISTOLA CVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ARCHIEPISCOPVM MOGVNTINVM.

Vt Ludouicum Germaniæ regem, eiusque fratres adhortetur vt ad Synodum veniant, aut legatos mittant.

Venerabili archiepiscopo Liutberto Moguntino.

ECCLESIASTICA exigente vtilitate, quoniam Deo duce causæ ad Galliarum partes venire commodum duximus: quapropter fraternitatem vestram necessario commonere studemus, vt secundum cælitus sibi sapientiam datam frequenti adhortatione fuggeras Ludouico regi, aliisque confratribus, vt ad nostræ mediocritatis colloquium, atque generalem Synodum, iuxta Christi voluntatem, apud Trecas congregatam, venire non omittat, vel si aliqua necessitate prædictus rex præpeditus fuerit, &c, vt non optamus, properare distulerit ad locum prædictum, quo cum Ludouico rege locuturi sumus, nomine tenus destinet: quatenus sub cuncta celeritate regum filiis congregatis, totius Christianitatis, Dei gratia duce, consulere communiter valeamus vtilitati. *Similiter Vwilliberto archiepiscopo Agrippinæ, Vvittecherio venerabili episcopo, & Bertulfo archiepiscopo Treuirenſi.* Data vt supra.

EPISTOLA CVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD SVPPONEM COMITEM.

Agit gratias de fidelitate erga Romanam ecclesiam. quædam apud Carolomannum facienda iniungit.

Dilecto filio Supponi glorioſo comiti.

PRIMVM quidem deuotioni vestræ magnas gratias agimus, quia priorem fidelitatem, quam circa sanctam Romanam ecclesiam habueras, in sequentibus quotidiano labore opere admonstrare non desinis. Nos quoque præ omnibus vos diligentes, vestris potius consiliis præ cunctis acquiescimus. Tantum vobiscum Anspertum & Vvibbo-dum